

causis matrimonialibus in quibus consanguinei et affines (c. 1974) habentur ut habiles; immo in causis impotentiae et *inconsummationis inducuntur ut testes septimae manus*. Etiam sacerdotes sunt incapaces, etsi soluti a vinculo sigilli confessionis, et absolute nequeunt interrogari si quovis modo sciant occasione confessionis.

7. Etiam ut non idonei habendi testes personae quibus ratione potestatis dominicae imperari potest, ut famuli in causa domini, vel qui in eadem domo cohabitant, ut coloni etc. Omnes cogi possunt ad testimonium ferendum, dummodo idonei sint, etiam si promiserint se non dicturos testimonium sub fide iuramenti.

8. Testes inducuntur a partibus vel Prom. iustitiae vel Def. vinculi, qui praesentant notulam testium citandorum sub hac formula:

In causa nullitatis matrimonii N. N. (vel poenarum, vel validitatis testamenti, etc.) subscriptus actor (vel conventus) petit ad deponendum sint citati ut testes:

1° *Petrus Ponti fil. Iosephi, natus Romae, degens Florentiae, Via N. sub n.*

2°
*Cum reservatione alios producendi ante conclusionem causae.
Datum die, mense, anno etc.*

N. N.

CAPUT XXI.

DE IUREIURANDO TESTIS

Can. 1767. — § 1. Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can. 1763.

§ 3. Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, utraque parte consentiente, remitti.

§ 4. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.

1. Ut videre est in cap. de *Testibus*, qui non sunt idonei ad testandum, ut pueri etc. emittere iuramentum non debent, quia eorum testimonium valet tantummodo ut indicium probationis. Sed omnes alii tenentur iuramentum emittere, excepta remissione ut in § 3, et si testis ad deponendum dispositus sit, nolit autem iuramentum praestare, tunc notarius in actis rem expresse notet.

2. Iudex potest exigere iuramentum a teste, sive ante depositionem de veritate dicenda, sive post de veritate dicta.

3. Iudex gravibus verbis commonefaciat testem de sanctitate iuramenti et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotans peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in Decreto admonentur, et, prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periuri noxii fiunt in foro Ecclesiae, nempe, de interdicto personali si periurus sit laicus, de suspensione a divinis si clericus (can. 1743, § 3). Has tamen poenas non infliget inconsulto Ordinario.

Deinde invitet testem ad invocandum Nomen divinum in testem veritatis, tactis SS. Evangelii sequenti formula:

Ego N. iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eandem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter expositurum, quin aliquid addam, omittam, vel immutem. Sic me Deus adiuvet et haec SS. Dei Evangelia.

CAPUT XXII.

DE TESTIUM EXAMINE

Can. 1770. — § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur;

1° S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres, quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiore facere debent.

Can. 1771. — Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas censuerit.

Can. 1772. — § 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.

Can. 1773. — § 1. Examen fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius.

1. Etsi partes vetantur assistere testi deponenti, tamen prudenti arbitrio iudicis remittitur collatio, vulgo = il confronto =, quae tamen concedi nequit nisi concurrant quae in can. 1772, § 3 habentur.

2. Examini sub poena nullitatis assistere debet notarius, qui scribere responsiones, et cum iudice subscribere actum debet. In aliis causis *potest assistere* Promotor iustitiae, in causis vero matrimonialibus *assistere debet* vinculi Defensor, qui exhibere debet iudici interrogatoria clausa et obsignata in actu examinis a iudice aperienda et partibus et testibus proponenda (can. 1968, § 1).

3. Testes oretenus testimonium dicere debent, et responsiones statim ab actuario scribi debent sive quoad *substantiam* sive etiam quoad *verba* si iudex hoc exigit. Testes iuramentum de veritate dicenda emittere debent, et iuramentum de veritate dicta. Testes declarare etiam debent, antequam subscribant, an quae scripta sunt respondeant testimonio dato, et declarare se nihil habere quod addant, supprimant, corrigant et variant. Ipsi subscribunt cum iudice vel iudicibus et notario.

4. Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis, et generatim de omnibus memoria dignis, quae forte acciderint, cum testes excutiebantur. Testem qui sponte compareat testimonii reddendi gratia, potest iudex pro sua prudentia admittere vel repellere (can. 1760).

5. Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si id iudex necessarium vel utile ducat (c. 1781).

6. Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi gravi ratione in causis quae numquam transeunt in rem iudicatam, ut in causis matrimonialibus, ex gravissima ratione in caeteris (can. 1786).

Depositio N. N. testis.

Ad 1. N. N. fu Pietro e fu Paola Negri, nato a Roma il giorno 10 genn. 1900, ragioniere.

Ad 2. Abito a Roma fuori Porta Maggiore, Via N., n. 4 int. 7.

Ad 3. R. — Sissignore, conosco benissimo il Sig. Rinaldo.

Ad 4. R. — Lo conosco fin da quando eravamo bambini, essendo stati vicini di casa fino ai 16 o 17 anni.

Ad 5. R. — Si è sposato con Pasqua Bernardini.

Ad 6. R. — Si sposò con questa sei o sette anni fa; ma non lo so di preciso.

Ad 7. R. — La conoscevo fino da 3 o 4 anni prima del matrimonio, perchè venne ad abitare vicino alla nostra casa.

Ad 8. R. — Di preciso non so se il fidanzamento fu lungo.

Ad 9. R. — Si vede che non era molto contenta, perchè, mentre prima era sempre allegra, deciso il matrimonio, diventò seria, e non parlava con alcuno.

Interr. ex off.: Q. — Questo avvenne proprio per causa del dover contrarre matrimonio o per altra causa?

R. — Io non lo so, nè mai ho chiesto nulla. Io pensai che fosse per il dispiacere di lasciare la famiglia.

Ad 10. R. — Supprimitur.

Ad 11. R. — Sembrava di sì, a quanto diceva la gente, anche perchè Rinaldo era un buon giovane.

Ad 12. R. — Che abbiano fatto pressioni non lo so. So che la madre della Pasqua aveva piacere che sposasse Rinaldo.

Ad 13. R. — Non lo so se vi erano speciali ragioni perchè Pasqua sposasse Rinaldo.

Ad 14. R. — Io l'ho sempre vista svelta, allegra, lavoratrice indefessa.

Ad 15. R. — Non so che sia mai stata malata.

Ad 16. R. — Non credo abbia avuto prima altri fidanzamenti.

Ad 17. R. — Supprimitur.

Ad 18. R. — Non so altro che questo che, un giorno, io, insieme alla Pasqua e alla mamma andammo a comprare qualche oggetto per far dei regali ai cognati. Essa si mostrò silenziosa e, quando veniva richiesta se questo o quell'oggetto le piacesse, rispondeva con indifferenza e freddezza: «ma sì, ma sì».

Interr. ex off.: Q. — Questo contegno della Pasqua le parve una diminuzione del capire, oppure no?

R. — Rispondeva con poca voglia, ma rispondeva a tono e capiva bene quello che diceva, come aveva sempre fatto; tanto che io non

ebbi neppure la più piccola idea che si trattasse d'un difetto d'intelligenza.

Interr. ex off.: Q. — Quanto tempo prima del matrimonio avvenne questo?

R. — Avvenne il mercoledì precedente al matrimonio, che fu celebrato il sabato.

Ad 19. R. — Nulla so di scienza propria, perchè non c'ero. Seppi da altri che tutto quel giorno si mostrò disturbata e che non parlava.

Ad 20. R. — *Supprimitur.*

Ad 21. R. — Non lo so se la sposa fu ricevuta bene a casa.

Ad 22. R. — Non lo so se abbia fatte stravaganze perchè distanti di casa.

Ad 23. R. — Non lo so se il marito trattasse bene la sposa.

Ad 24. R. — So che il giovedì dopo il matrimonio venne in bicicletta a trovare la mamma e tornò subito alla casa maritale da sola, com'era venuta, e là non so quanto tempo sia rimasta.

Q. 25. — Perchè andò via la sposa dalla casa maritale?

R. — Non lo so. La gente diceva che, essendosi dimostrata disturbata il giorno del matrimonio, dipendesse dal fatto che il marito non le andava a genio.

Ad 26. R. — Sentii dire che presto, dopo il ritorno alla casa paterna, comincio a non prendere a segno con la testa e che questo difetto s'accentuò in seguito. So che un giorno, girando su e giù pel nostro campo, saltò un'altra siepe; ma io non la vidi. Saputo che la Pasqua era tornata alla casa paterna, noi domandammo alla gente come mai fosse ciò avvenuto.

Iudex eum monet ut attente audiat modo perlegendas interrogationes factas, data ei facultate addendi, variandi seu corrigendi prout veritas exigit, ac dein subscribat.

Relectione facta, et iuramento praestito de veritate dictorum, testis nihil mutandum censuit et tandem sua manu subscripsit.

N. notarius

N. testis

N. officialis

N. iudex

N. iudex

N. def. vinculi

CAPUT XXIII.

DE REPROBATIONE TESTIS ET TESTIFICATIONUM

Can. 1764. — § 1. Testes debent ex officio excludi, si iudici liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Ast etiam, postulante adversario, testes excludendi sunt, si iusta exclusionis causa demonstratur, quae exclusio dicitur *reprobatio personae testis*.

§ 3. Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, quamvis possit eius dicta reprobare.

§ 4. Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt, nec postea facta admittatur, nisi a parte demonstratur vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse.

§ 5. Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat.

Can. 1783. — Post testificationum evulgationem:

1° Cessat facultas reprobandi testis personam, excepto casu de quo in can. 1764, § 4;

2° Sed est ius reprobandi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum scilicet obiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum nempe testimonia impugnantur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

1. Absoluto examine testium si partes examini praesentes non fuerint, citandae a iudice sunt ad videndum testimonium (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, p. 153), aut depositiones publicandae, quae publicatio a iudice differri potest in tempus quo caetera probationum capitula fuerint absoluta.

2. Facta publicatione, amplius exceptiones contra testes non admittuntur: non omnes tamen reiciendae sunt, excipi enim potest contra personas testium, contra modum examinis, et contra testium depositiones. Exceptiones contra examen et contra dicta testium, ut clarum est, fieri possunt post factam publicationem, sed exceptiones et reprobationes relate ad personas proponendae sunt ante publicationem non postea, immo intra triduum postquam nomina cum parte communicata fuerunt, salva protestatione rei de reservatione exceptionis contra testes producendae.

Exemplum decreti publicationis testificationum et actorum:

Tribunal, excussione omnium testium peracta, cum aliqua ad causam pertinentia inventa non sint nec utilia ad veritatem acquirendam ad normam can. 1775, decernit expunctionem art. N. N. et evulgationem testificationum, et ordinat actuario ut partes de hac evulgatione edoceat, ut si quid habeant vel producendum vel reprobandum (can. 1773, § 2) hoc faciant ante diem etc. hora etc.

Datum.....

Actuarius N.

Officialis N.

Exemplum decreti circa reprobationem testium:

DECRETUM

Examinata petitione rei conventi, qui postulat ad normam can. 1757, § 2, 3 reprobationem testium N. N. N. N. abductorum a Promotore Iust. (vel Vinc. Def.) et ab actore:

Considerantes famam bonam testium, qua gaudent, excludere applicationem can. 1757; et § 3 huius can. 1757 applicari non posse his testibus, quia absunt in actis argumenta comprobantia iustam causam reprobationis (can. 1764, § 2); Nos iuxta can. 1784 praesenti decreto repellimus petitionem reprobationis testium, ut supra.

Datum etc.

Notarius actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XXIV.

DE FIDE TESTIUM ET TESTIMONIORUM

Can. 1789. — In aestimandis testimoniis iudex prae oculis habeat:

1° Quae conditio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat;

2° Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis;

3° Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius et incertus, vel vacillans;

4° Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.

1. Iudex testimonium de testis credibilitate quaerere quomodo-
documque potest, sed praesertim opera parochorum, qui inquirere
tenentur et, gravata eorum conscientia, quae sciunt tradere
debent.

Hac formula iudex petit a parcho testis testimonium de eius
credibilitate:

*Cum instruat in hoc tribunali dioecetano causa de necesse
est ut sedulo investigetur ut legitimum testimonium de testium, qui
inducuntur, credibilitate habeatur. Quapropter infrascriptus Iudex in-
structor mandat Rev. Parcho..... ut pro pastoralis sui officii sanctitate
et sollicitudine, ad rem accurate inquiret et distincte huic Tribunali
significet notas de religione et honestate domini N. N. testis inducti
(Via N. n. N.), an nempe praecepta Religionis adimpleat, an bonis
moribus sit imbutus, qua fama gaudeat, et an credi possit et debeat,
etiam cum deponat de rebus quae ipsius intersit.*

*Insuper, pro sua prudentia, idem parochus referre velit de om-
nibus aliis, quae ad depositiones rite aestimandas necessaria et oppor-
tuna videantur.*

Quod si testis N. N. non fuerit Parcho cognitus, inqui-

sitionem ope prudentis personae, sibi bene visae et sub secreto, instituat.

Datum ex actibus tribunalis die etc.

Actuarius N.

Officialis N.

Actuarius huius decreti notificationem faciat singulis parochis inductorum testium.

CAPUT XXV.
DE ROGATORIIS

Can. 1770. — § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur: 2° Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut conditione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt;

3° Qui extra dioecesim degentes, in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur ad normam can. 1570, § 2, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas.

1. Hic canon loquitur de testibus sed ad hunc revocat c. 1746. In his casibus interrogatio facienda est per rogatoriam, seu deputandus est sacerdos et actuarius, si in ipsa dioecesi iudicis, vel Episcopus si in aliena dioecesi, qui per suum Officiale, et cum facultate alios delegandi examen perficiat, transmissis etiam interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus.

2. Delegatio pro rogatoria in scriptis facienda. Acta rogatoriae, seu verbale sessionis et depositio testium mittenda tribunali deleganti, in authentico exemplari, et, rogante iudice delegante, etiam in suo originali.

In causis matrimonialibus semper praeter notarium adest vinculi defensor qui exhibere debet iudici interrogatoria clausa et obsignata (can. 1968).

Exemplum litterae rogatoriae pro excussione testium:

Constitutio Tribunalis.

In nomine Dei. Amen.

Anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo die vigesima-quarta mensis maii hora undecima absque quadrante, in Curia Episcopali N., in aula pro Tribunalis sessionibus, coram Revmo N. N. eiusdem Curiae Officiali, praesentibus Revmo Dno N. N., Iustitiae Promotore (vel Vinculi Defensore) ac me infrascripto notario actuario, ego notarius actuarius perlegi litteras Ordinarii N. N. die..... datas, et a Dno A. ponente subscriptas necnon a T. T. Tribunalis notario, quibus in Causa X nullitatis matrimonii R. M., Excmo Ordinario N. committitur munus excutiendi testem N. N. in hac Dioecesi commorantem; adnexae superioribus litteris adsunt quaestiones testi proponendas in plico obsignato.

Has litteras ab Excmo Episcopo N. acceptas, ut procedatur ad normam iuris, actis inserui.

Dein Revmus Iudex, annuente Vinculi Defensore, decrevit praedictum testem citari ut ad se iurato examini subiiciendus compareat in Sessione quam Iudex statuit habendam in hoc eodem loco, die....., hora decima, et mandavit insuper a testis parcho notitias de eius honestate etc. exquiri; monuit dein Defensorem Vinculi ut praefatae Sessioni adsit.

De mandato ego notarius actuarius instrumentum hoc confeci et perlegi et a praesentibus subscribitur:

loc. † sigilli

*N. Offic. Praeses
N. Vinc. Defensor
N. Not. Actuarius*

Inserta:

Litterae Rogatoriae Tribunalis N.

Excmo Ordinario N. N.

Infrascriptus Officialis, et in causa de qua supra Ponens, E. T. Revmae munus committit excutiendi testem « N. N. degentem... » super quaestionibus in adnexo folio descriptis, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, subdelegandi non exclusa potestate, constituto in primis Vinculi Defensore, eidemque facta facultate alias ad-